

vel hinc tamen conspicuum fieret. Dictum est *in superioribus*,  
*Cap. inprimis IV* in puncto B, Angulos CBA & CBD, qui fiunt  
 mutuo linearum AD & CB concursu, fieri duobus Rectis æ-  
 quales. Notum est etiam *per ea quæ hoc capite sunt dicta*, in ABC  
 Triangulo tres angulos ABC, BCA & CAB æquari duobus  
 Rectis. Excluse ergo angulo ABC, qui bis sumitur: æquabi-  
 tur unicus externus CBD utriq; interno & opposito, reliquis  
 nimirum angulis CAB & ACB. Cumq; ambobus simul æque-  
 tur: erit utiq; eorum utrovis minor,

## CAPUT IX.

De

VARIIS TRIANGULORUM  
 sectionibus.

**V**idimus hætenus sectiones & comparationes par-  
 tium Triangularium: consequens est, ut porro  
 etiam videamus quomodo ipsa Triangula secen-  
 tur, & invicem comparentur.

Sectionio Triangulorum fit per lineas: easq; vel perpen-  
 diculares, vel parallelas, vel quascunq; alias.

Perpendicularis cadit ex angulo quocunq; ad latus op-  
 positum: sive ad ejus anguli basin.

Caditq; aut intra Triangulum, aut extra illud.

Intra Triangulum cadit Perpendicularum, cum anguli  
 ad Basin sunt Acuti.

Si verò angulus ad Basin alter fuerit Obliquus, cadit  
 Perpendicularum extra Triangulum in continuatam  
 basin, versus partes Anguli Obtusi.

G

Quod